

me duodecim Reipublicæ præfuiſſet, humanis de- 1354
ceſſit.

Eo defuncto, Rempublicam domi foriſque magnis incommodis jactatam, Phalerii periculofiffimus Ducatus excepit. Nam præter varias clades mari ea tempeſtate acceptas, fame quoque, peſtilentia, dirisſque terræmotibus civitas concuſſa eſt. Cæterum parum abfuit, quin & publica libertas nefario illius conſilio amiſſa ſit. Periiit Dandulus octavo idus Septembris, atque in aurea æde ad Baptiſmi lavacrum eſt honorificentiffime ſepultus: Marinus Phalerius Eques, & Vallis marinæ Comes, abſens Dux declaratus eſt. Fungebatur tum ille apud Pontificem publici legati munere. Per eos dies dum Patres in novi Ducis creatione occupati eſſent, allatum eſt, tres Liguriſcas triremes a Venetis circa Græciæ inſulas interceptas. Hoſtium quoque classiſ finum ingreſſa, aliquot interea negociatorum navigia interceptit: intraque paucos dies ingenti præda abducta, non minus quam venerat, tumultuoſe abiit. Poſt Phalerii declarationem, Piſanus, qui Rempublicam foris adminiſtrabat, cujus ſolius ductu potentiffima Venetorum classiſ per id tempus toto mari circumferebatur (ferunt eam quinque & triginta longas naves habuiſſe, minora navigia duo & viginti) ad Sapientiam inſulam Peloponneſo adjectam, audito Genuenſium adventu, conſedit. Aurius Præfectus cum ſex & triginta triremibus pugnandi conſilio huc celeri curſu contendit. Forlivienſis Blundus ait, aperto mari circa inſulam pugnatum, ac poſt difficile certamen penes Ligurem victoriam fuiſſe, Piſanum ipſum cum quinque hominum millibus in hoſtium poteſtatem veniſſe. Quod ſi in aciem deſcenſum eſt, ac pro viribus dimicatum (quia varii & incerti ſunt bellorum caſus) excuſanda Piſani & aliorum fortuna; ac nescio an etiam probandi, quod aut mori aut capi maluerunt, quam turpiter fugam capeſſere. Sed Venetarum rerum annales, ſine pugna, ſine cæde ulla tradunt totam claſſem, præter

*Marinus
Phalerius
Dux creatur.*

*Ingens Venetorum
clasiſ ad
Sapientiam
inſulam a
Ligure oppreſſa.*